Sed misera Alcmēna septem diēs laborābat. Deinde octāvō diē geminōs puerōs, Herculem et Iphiclem peperit. Iam Iūnō īnfantem Herculem necāre temptāvit. Duōs ingentēs ācrēsque serpentēs in geminōs mīsit. Īnfantēs in cūnābulīs dormiēbant. Iphiclēs ē somnō sē excitāvit et terrōre **vāgīvit**. Vāgītus frātris Herculem excitāvit. Sed Herculēs nōn timēbat; immō **serpentēs** manibus prehendit et strangulāvit. Intereā Amphitryōn vāgitūs audīvit, gladium prehendit,
et in cubiculum cucurrit. Ibi mīrum spectāculum **vīdit**: Herculēs sedēbat et ante sē duōs mortuōs serpentēs tenēbat. Īnfāns etiam rīdēbat et patrī serpentēs praebēbat. Tum Amphitryōn vēritātem intellēxit: Herculēs erat vērus fīlius Iovis. Vātēs Tīresiās quoque praenūntiāvit: "Mox Herculēs magnīs factīs magnam glōriam sibi sed etiam magnum dolōrem efficiet."